DE DIVINA
I. ET II. MACHABAEORUM LIBRI
AUCTORITATE
ATQUE HINC DE PURGATORIO
ADVERSUS HETERODOXOS
THESES

QUAS SUB AUSPICIIS

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. PRAESULIS

MARCI ZAGURI

EPISCOPI VICETINI

DUCIS MARCHIONIS ET COMITIS ETC.

PUBLICE PROPUGNANDAS EXPONIT

JOANNES ANTONIUS RES

SEMINARII VICETINI ALUMNUS

PRAECEPTORE ET ADJUTORE

JOANNE ZANNIOLI

SACRAE SCRIPTURAE IN EODEM SEMINARIO

LECTORE.

DATA CUIQUE POST TERTIUM ARGUMENTANDI
COPIA MORE ACADEMICO

VICETIAE

TYPOGRAPHIA PARONI

1803

3
Ich.

Digitized by Google

„Oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis“.

I. ad Corinth. cap. 11. v. 19.

Digitized by Google

ADVERSUS HETERODOXOS

THESES

Cum jam soli pene supersint duo priores Machabaeorum Libri, quorum divinam auctoritatem Heterodoxi prope omnes, ob maxime peremtorium illud pro orthodoxo Purgatorii dogmate testimonium, ad hanc diem oppugnare, et evertere aperto Marte contendant, e re nostra esse duximus, eam modo una cum Catholica Ecclesia ab impiis eorumdem armis, machinisque vindicandam suscipere. Sit itaque

Thesis I.

Divinae utriusque Machabaeorum Libri auctoritati nihil quidquam officit tum diversitas pertractationis materiae,

Digitized by Google

quia scilicet posterior Liber eadem, quae prior, prosequitur, sed prorsus aliter, nec tamen meminit alter alterius; tum diversitas Chronologiae, quae in priore Libro est Judaica, in posteriore vero plerumque Antiochena, sive Alexandrea, et semel iterumve Chaldaica (*a*); tum denique diversitas phrasis, stylique, qui in priore Libro Hebraeum, in posteriore vero Graecum redolet. Inde enim hoc unum liquet sacros utriusque Libri Auctores, licet incertos, esse plane inter se se diversos.

II.

Neque obstat auctoritati prioris Libri Machabaici ea, quae opponi solet D. Hieronymi auctoritas dicentis (*b*): *Josephus Machabaeorum scriptor Historiae, frangi, et regi posse dixit perturbationes animi, non eradicari*. Non enim

(*a*) Petavius de Doctr. Temp. Lib. 10. et 11. cap. 43. Usserius in Annalib.

(*b*) D. Hier. Dialog. 2. in Pelag.

ibi loqui S. Doctorem de sacra Historia, quam prior Machabaicus complectitur, sed de libello prorsus alio, qui inter Josephi Hebraei opera legitur, inscriptus Εἰς Μακκαβαίους, ἢ περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ, hoc est, *de Machabaeis, sive de Imperio rationis*, facilius etiam colligi potest ex Eusebii Libr. III. Historiae Eccles. cap. 10.

III.

Neque etiam obstat auctoritati posterioris testimonium Honorii Augustodunensis, qui eum Judaeo Philoni adjudicat. Satis enim compertum est, styli genus a Philonis stylo omnino discrepare, et similis argumenti Librum inter Philonis opera neque Eusebius, nec D. Hieronymus commemorant.

IV.

Nec magis adversariorum, quam nostrae causae suffragatur id quod obtruditur ex ejusdem D. Hieronymi Praefatione in Libros Salomonis, ubi ait:

Digitized by Google

Machabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas scripturas non recipit. Nam ibi eum non ex sua, sed ex quorumdam aliorum sententia loqui patet cum aliunde (*a*), tum maxime ex ejusdem Libro V. Commentariorum in Isaiam ad cap. 23. ubi postquam Machabaeorum principium in medium protulit, *Hoc enim*, inquit, *Scriptura commemorat.*

V.

Nec solum a D. Hieronymo duo priores Machabaeorum Libri ut *Scriptura* citantur, et agnoscuntur, sed etiam a Concilio Carthaginensi III. (*b*), ab Innocentio I. (*c*), a Gelasio in Synodo LXXVI. Episcoporum (*d*), a Ss. Cypriano (*e*), Clemente Alexandrino (*f*),

---

(*a*) D. Hier. Com. in c. 7. et 9. Eccl. et in c. 8. Dan.
(*b*) Concil. Carthag. III. Can. 47.
(*c*) Innoc. I. epist. III. ad Exuperium cap. ult.
(*d*) Gelas. in Conc. decreto de Lib. Canonicis
(*e*) Cypr. Lib. I. Ep. 3. ad Corn. Lib. IV. Ep. I. &c.
(*f*) Clem. Lib. I. Strom.

Chrysostomo (*a*), Augustino (*b*), Prospero (*c*), Ambrosio (*d*), Isidoro (*e*), Leone P. (*f*), aliisq. pene innumeris Ss. Patribus ubique Sacro Canoni adcensentur. Unde patet impudens Bernardini Ochini mendacium, dum asserit, a nullo veterum Doctorum mentionem eorumdem Librorum factam esse.

VI.

Hinc etiamsi Rabbanus affirmet, suo tempore (scilicet Saeculo IX.) per Apostolicam sedem decretas esse in Ecclesia lectiones ex his Libris, ac nominatim ex secundo, diu tamen ante consuevisse in Ecclesia legi Ss. Hieronymus, Augustinus, Leo, aliiq. Patres, quos superius memoravimus, in-

(*a*) Chrysost. Orat. de 7. Machab.
(*b*) Aug. Lib. II. de Doctr. Chr. cap. 8. et Lib. XVIII. de Civ. Dei cap. 36. et in Psalm. 90. et 148.
(*c*) Prosp. de Praedict. Part. 2. cap. 40.
(*d*) Ambr. Lib. I. Offic. cap. 40. et 41.
(*e*) Isid. Lib. IV. Orig. cap. 1.
(*f*) Leo Magnus in Nativ. Ss. Machab.

Digitized by Google

victe testantur. Quod quidem agnovit etiam Calvinista Wittakerus (a).

VII.

Quapropter gravissimum, aequissimumq. illud Ss. Tridentinae Synodi decretum Sess. IV. pro divina utriusque Machabaeorum Libri auctoritate heterodoxi non tam impie, quam inepte, insipienterq. sibilis, cachinnisq. excipiunt.

VIII.

Insipienter enim, et falso alii ex acatholicis Mathathiam zelo Phinees (b) se, suosque liberos, et populum ad Religionis pessum euntis defensionem excitantem perduellionis reum judicant.

IX.

Nec minus perperam, ac temere ex

(a) Wittak. Lib. I. contra Bellarm. cap. 14.
(b) Lib. I Machab. cap. 2. v. 26.

Digitized by Google

ipsis alii laudato illo Mathathiae zelo ad suam ab Catholica Ecclesia defectionem purgandam, armisque vindicandam abutuntur.

X.

Eleazar (*a*) *dedit se, ut liberaret populum suum, et acquireret sibi nomen aeternum*. Ergo magnum istud facinus etiam cum vitae periculo aggredi nec purae putaeque ambitionis fuit (ut mala fide dissimulat, et arguit Lucas Osiander) sed mentis integerrimae ad sui populi liberationem potissimum intendentis, nec immerito iccirco ab Ambrosio, aliisq. Patribus summis laudibus extollitur.

XI.

Neque vero temeritati, vel ambitioni (ut idem fingit Osiander) sed potius praeclarissimo invictae Fidei argumento verti debet Judae, quod, *qui*

(*a*) Lib. I. Machab. cap. 6. v. 44.

Digitized by Google

semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a Deo affuturum (*a*) quiq. toties in anteactis praeliis illud erat expertus, cum solis octingentis viris Bacchidi occurreret viginti millibus peditum, et duobus millibus equitum circumsepto.

XII.

Ergo si Judas in eo praelio tum *propter fratres suos*, tum propter Dei, suamq. *gloriam* suscepto (*b*) *gloriosiorem triumphis mortem invenit*, Ambrosio teste (*c*); dum contra Osiander, caeterique ejusdem furfuris asseclae pronunciant, hunc ipsum ex temeritate, ex ambitione, ex diffidentia in Deum propter initum cum Romanis foedus misere obiisse, non minus errore pessimo laborant, quam quo multo ante

---

(*a*) Lib. II. Machab. cap. 15. v. 7.
(*b*) Lib. I. Mach. cap. 9. v. 10.
(*c*) D. Ambr. Lib. I. offic. cap. 41.

Digitized by Google

laboraverit Josephus Hebraeus (a) temere testatus, Simonem Judae fratrem consimilem obiisse mortem manifesta Dei vindicta, quod cum Spartiatis, et Romanis foedus pepigisset.

XIII.

Audivit Judas, ... et audierunt Judaei ea, quae de Romanis Lib. I. cap. 8. ampla quidem, et magnifica enarrantur. Hoc unum igitur concludi inde potest, ea omnia de Romanis fuisse quidem Judaeis enarrata, sed necesse non est, ut, quae narrata illis sunt, omnia sint vera.

XIV.

Ea tamen omnia esse vera probari etiam potest ex probatissimis Historicis, eruditissimisque S. Scripturae Interpretibus.

(a) Joseph. Hebr. Lib. XIII. de Antiq. Judaic. cap. 14.

XV.

Jam vero cum sacer Auctor Libri I. Machab. dicat cap. 10. v. 3. „ Et misit Demetrius epistolam ad Jonatham „ verbis pacificis, ut magnificaret eum: „ Dixit enim: Anticipemus facere pacem cum eo, priusquam faciat cum „ Alexandro (Bala) adversus nos “; revera non pugnat secum ipse, qui postea dixit v. 47. „ Et complacuit eis „ in Alexandrum, quia ipse fuerat eis „ princeps sermonum pacis “.

XVI.

Neque cum dicat cap. 1. v. 1. „ Alexander Philippi Macedo, qui *primus* „ regnavit in Graecia “; pugnat revera cum Danielis cap. 11. v. 2. ex quo constat longe antiquius esse regnum Graecorum.

XVII.

Haec igitur, quaeque alia permulta singillatim de dissensione (tam in Chro-

Digitized by Google

nologia, quam in rebus) Libri unius a se ipso, vel alterius ab altero, vel ab aliis Scripturis, vel a Graeca, Romanaque Historia, vel etiam a Fide, bonisque moribus solent haeretici in duos priores Machabaeorum Libros jactare, non ea sunt tanti, ut valeant gravissimum, Catholicumque illud Ss. Tridentinae Synodi pro divina Librorum horum auctoritate decretum labefactare.

XVIII.

Idem dicas de iis aliis, quae generatim tum ex silentio, vel dubitatione, vel negatione quorumdam etiam Catholicorum; tum vero ex silentio aliorum Conciliorum, et Synagogae veteris, tum denique ex ratione Theologica adversus divinam Librorum horum auctoritatem ab iisdem regeri solent.

XIX.

Quid ergo obesse potest ejusmodi decreto id, quod objicit Calvi-

Digitized by Google

nus (*a*), minime decere Auctorem divinitus afflatum, veniam erratorum petere, quam petere videtur Auctor Libri II. Machab. ad calcem dicens: „ Si „ quidem bene, et ut Historiae com„ petit, hoc et ipse velim; sin autem „ minus digne, concedendum est mi„ hi "? Unde scurriliter haereticus Brentius: *Demus* (inquit) *illi veniam, quod erraverit, cum suffragia pro defunctis laudavit*.

XX.

Sed interim hisce verbis, velit, nolit, fatetur Brentius, in decretorio illo pro Purgatorii dogmate Textu, Cap. XII. v. 42. et seqq. luculentissime exposito doctrinam de mortuorum suffragiis contineri; quod quidem nostram causam contra alios haereticos id pernegantes mirifice juvat.

(*a*) Calv. in Antidot. Conc.

XXI.

Eodem itaque Textu disertissime docetur primum Purgatorii dogma, scilicet esse locum, in quo piorum Animae, quibus aliquid post mortem eluendum et persolvendum superest, immorantur, inde in aeternam Patriam, *in quam non intrabit aliquod coinquinatum* (*a*), assurrecturae; qui locus nullus alius esse potest, quam Purgatorium.

XXII.

Ibidem quoque doceri dogma alterum, eas scilicet animas posse nostris suffragiis levari, et liberari, proindeque *Sanctum*, *et salutare esse pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, tam certum, atq. evidens est, quam quod maxime.

(*a*) Apocal. cap. 21. v. 27.

Digitized by Google

XXIII.

Nec minus pium illud Judae factum pro defunctorum suffragiis nobilissimum est exemplum Pontificis, suaeque Ecclesiae idipsum communi Fide sentientis, quam firmissimum, simulque ineluctabile argumentum, Adversarios nostros id perfricte negantes non solum ab Ecclesia Christi, sed etiam a veteri Synagoga jure optimo condemnari.

XXIV.

Atque hanc coronidem, *Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, genuinam esse hujusce capitis partem, diserte comprobant omnia inter se invicem convenientia vel edita, vel manu scripta Librorum horum exemplaria etiam antiquissima, nedum veterum Patrum hunc locum pro Canonica, germanaque Libri hujus parte agnoscentium, et citantium testimonia. Ergone est aliud magis absurdum figmentum, nisi est

Digitized by Google

istud cerebrosi Munsteri, *genuinam eam non esse, sed per audaculum quempiam textui insertam, vel assutam?*

XXV.

Quam vero splendidum hoc aliud Munsteri (*a*) mendacium, non solere Judaeos ad hanc usque diem pro defunctis orare! Cui omnia reclamant tum Judaeorum superstitum testimonia; tum scripta defunctorum, tum Ritualia Judaica, quae hic ad verbum citat Serarius, Genebrardus (*b*), et Bellarminus, ita ut id tandem fateri coacti sint idem Munsterus (*c*), Fagius (*d*), Wittakerus (*e*), aliique heterodoxi.

XXVI.

Quod si a sacro Auctore ibidem di-

(*a*) Munst. in Praef. in Librum Gorionidis, et ejusdem lib. 3. cap. 19.
(*b*) Genebr. in Libello, quem e Mazor vertit.
(*c*) Munst. in Deuter. tract. 4.
(*d*) Fag. in Deuter. 14.
(*e*) Wittak. Lib. I. contra Dureum f. 81.

Digitized by Google

66

citur *non esse vanum orare pro mortuis, quia speratur eorum resurrectio*, constat profecto, eum non loqui de spe proximae resurrectionis corporum interfectorum (quam certe Judas tunc sperare non poterat) sed animarum, hoc est, de spe earumdem liberationis, vel solutionis a peccatis; pro qua sperata liberatione sacrificia offerebat, ut Deus iis placatus easdem animas a Purgatorii paenis eximeret. Ergo pura putaque cavillatio id, quod haeretici reponunt, non posse hinc Purgatorii dogma a Catholicis inferri, qui certe defendunt, illud non pendere a spe, immo neque a fide resurrectionis corporum.

XXVII.

Eodem textu aperte exprimitur, eos milites, *qui ceciderant, cum pietate dormitionem accepisse, et optimam habere repositam gratiam*. Non igitur Judas putavit, eos impoenitentes obiisse, ut igne aeterno damnarentur, id quod omnino volunt haeretici.

Digitized by Google

XXVIII.

Hinc si collegit Judas *duodecim millia drachmas argenti, ut offerretur pro peccatis mortuorum sacrificium*, non ideo hoc fecit, ut vel pium affectum in eos, quos damnatos vocant, et volunt haeretici, patefaceret, vel ut Dei iram ab aliis superstitibus deprecaretur, sed *ut mortui a peccatis solverentur*.

XXIX.

Quod si tandem factum illud Judae viri fortissimi fuit a toto populo laudatum, ejusque exemplo omnes ad preces *conversi rogaverunt, ut id, quod factum erat, delictum oblivioni traderetur* (*a*), omnesque pecuniam contulerunt ad sacrificia pro defunctis offerenda, a veritate immane quantum aberrant, qui negant, singulare hoc, quod ajunt, Judae exemplum posse pro

(*a*) Clarius in Graeco Textu legitur, τελείως ἐξαλειφθῆναι idest *perfecte deletum esse*.

118

lege, aut infallibili testimonio statui, propterea quod quae in sacris Litteris facta leguntur, non omnia probari merentur!

XXX.

Hinc publica illa sacrificii pro mortuorum peccatis faciundi adprobatio de qua agitur cap. 12. Lib. II. Machab. cum invicte nobis ostendit communem Judaeorum fidem pro Purgatorii dogmate et Suffragiorum, quibus detentae ibi animae juvantur, tum vero etiam cavillationis, et falsitatis arguit haereticos contendentes, duplex hujusmodi dogma ab aliis tum Veteris, tum Novi Testamenti testimoniis dissentire.

XXXI.

Quid quod magnus ille Augustinus (quem *optimum ex tota Antiquitate, et fidelissimum testem* vocat ipse (*a*) sibi dissentiens Calvinus); postquam hoc

(*a*) Calv. Lib. IV. inst. cap. 14. n. 26.

Digitized by Google

idem testimonium ex Lib. II. Machab. attulisset his verbis (*a*): *In Machabaeorum Libris leginus oblatum pro mortuis sacrificium*, ita mox recte subdit: *Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva tamen est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum?*

XXXII.

Itaque cum eodem Augustino asserente (*b*) *orationibus sanctae Ecclesiae, et sacrificio salutari, et eleemosinis, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia.*

(*a*) Aug. Lib. de cura pro mortuis gerenda c. 1.
(*b*) Aug. Serm. 32. de verbis Apost.

Digitized by Google

30

XXXIII.

Ergo etiam ex antiquissimis perpetuisque tum Catholicae Ecclesiae precibus, et Liturgiis, tum SS. Patrum traditionibus invicte demonstratur dogma Purgatorii, et usus offerendi pro animabus ibi detentis sacrificia, eleemosinas, et preces.

XXXIV.

Quae cum ita sint, apage nugas haeresiarchae Lutheri, qui, postquam in Disputatione Lipsiensi orthodoxe de se dixerat (*a*): *Ego et credo Purgatorium esse, et consulo, suadeoque credendum*; ita ab orthodoxa Ecclesiae doctrina cum suis recessit docens, *hujus vitae miserias, horrorem mortis, atque ipsam mortem satis esse ad leves justorum maculas eluendas* (*b*).

(*a*) Disput. Lips. art. 37.
(*b*) Ex Nat. Alex. T. IV. Saec. IV. Diss. 45.

Digitized by Google

XXXV.

Apage etiam tandem aliquando sacrilega Calvini maledicta (*a*) vocantis Catholicum hujusmodi dogma *exitiale Satanae commentum, quod Christi Crucem evacuat, quod contumeliam non ferendam Dei misericordiae irrogat, quod Fidem nostram labefacit, et evertit*. Quibus auditis nihil est, quod miremur, quod ipse, ut sibi esse liceret impune sacrilego atque haeretico, dixerit postea (*b*): *Quod ex Machabaeorum historia proferunt, responsione non dignabor, ne opus illud videar in Sacrorum Librorum Cathalogum referre*.

(*a*) Calv. Lib. I. Inst. cap. 5. n. 6.
(*b*) Idem Calv. Lib. III. cap. 5. n. 8.

58869

Digitized by Google

Digitized by Google